

# Serenissime Archidux

108 98

Mitto per manus P. Pizzoni Serenissime vestre Celsitudini, Instrumentum quoddam  
quod Organum mathematicum appello; in quo summa facilitate traduntur illae Artes  
mathematicae, ad quas Serenitatem vestram inclinari audio <sup>ut supra Regibus et Principibus</sup>  
uti par est, nullo non tempore summo in honore habitas, <sup>et ad quos s.v. quos meliori iudis.</sup> ut si quando a grauioribus  
negotijs libera fuerit, praeter alia animi oblectamenta et has habeat, quibus mentem  
suam laudabili et uere regio studio refocillet. Ne uero in Organi huius praxi  
intelligenda Celsitudo uestra Serenissima laboris forsan taedio grauata haerere hic  
occurrentium dubiorum Interprete, in meum locum D. Aloysium Kinnerum, et amicum  
meum singularem et uirtutis suae merito Celsitudinis uestrae Seren. domesticum substituendum  
duxi; qui uti mathematicis excelsissimus est, ita eam quoque facilitate Serenitatem uestram  
huius Organi usum docturum confido; ut in eo uelut aliud agens sine molestia et capitis  
grauamine, ubi et quando placuerit, magna animi sui uoluptate <sup>sele</sup> exercere possit.  
Nihil igitur restat, nisi ut Ser. Vestra eo id animo a paupere philosopho acceptet  
non auro et argento coopertum, sed ligneum cartaceumq; munusculum, quo alia a me  
similia a paupertate mea gloriose memoriae Pater eius Ferd. III. et hodie Leopoldus Augustissi-  
mi Caesares acceptare non sunt designati. Quod si Ser. vestra fecerit, ad maiora, quae gloriose  
nomini eius reseruata sunt, preparanda, Stimulos adiciet. Vale Ser. Archidux, huius seculi decus  
et uiuendum S.R.I. germen, quod ut in magnarum rerum emolumentum adolescat, a Deo Opt. Max. quam  
obsecratis precibus contendo.

Roma 7 Augusti. anno 1661

Seren. Celsitud. v. r.

Seruus humillimus et dedit  
Athanasius Kircher

